PRÆLECTIO THEOLOGICA MORALIS HABITA PUBLICE IN SENENSI LICÆO A...

Vincenzo Mannotti

PRÆLECTIO THEOLOGICA MORALIS

HABITA PUBLICE' IN SENENSI LYCÆO

A VINCENTIO MANNOTTI

ANNO MDCCLXIX

QUod poſt Auguſtinum eximium Eccleſiæ Patrem de Legibus (a) olim diſſerens S. Thomas affirmavit, *ad Legem videlicet humanam non pertinere, quod omnia vitia cohibeat*, eáque propter inter Legumlatores, & eos qui Moralem profitentur diſciplinam, quamquam utrique pari quidem ſtudio ſibi proponant, ut frænum adjiciant criminibus, quo ea compeſcantur, maximum tamen diſcrimen intercedere, & plurimum utrorumque officia differre inter ſe, diſparique apud utroſque exitu rem procedere, id mihi, A. A., quidquid nonnulli obloquantur, non ſolum veritati conſonum viſum eſt, notatuque dignum, ſed etiam opportunum ad hanc, quam aggredior, de morum ſcientia Prælectionem breviter inſtituendam.

A Nam,

(a) 1. 2 q 96 art 2.

Google

Nam qui morum candidiores regulas pandunt petentes de puro fonte, ad illud curas unicè dirigunt ſuas, ut univerſum omninò culparum genus ab animis excludant hominum, eoſque non tàm expulſione vitiorum, quàm veræ probitatis, & Evangelicæ virtutis exercitatione meliores faciant, ut quicquid illi aut ſint, aut agant, omne prorſus ab eis prodeat ex charitatis intemerato principio.

At leges qui ferunt, dum crimina perſequuntur, ea non tàm ut inhoneſta, atque turpia, quam ut publicis, vel privatis commodis noxia vetant, & puniunt, contra verò, dum rectum jubent, non ut directo pertinens ad virtutem, ſed potius ut civicæ quieti, bonoque regiminis conſentaneum intuentur, rerumque magis utilitati, quàm decori, laudique proſpiciunt.

Quid enim obſit publicæ tranquillitati, quæ Legislatoris ſcopus præcipuus eſt, amore ne virtutis, an pænæ formidine Regiæ Poteſtatis authoritati pareamus, juſtas ne habeamus, an injuſtas criminemur ſancitas Leges, rationis ne ductu eas & voluntatis conſenſione obſervemus, an belluarum more, quas ſola violentia vincit? dum Imperanti obtemperes, non admodum Legislator curaverit, utrum ſponte, an invitus obedias, animumque ſerves vel intus ſtudioſum recti, vel ſpecie ſplendidum, & fucoſum officii ſimulatione.

Quid, quod multa Legislator facinora cogitur inulta relinquere, multa etiam permittere ſatius ducit, vel quod hujuſmodi ſint, ut conſuetudine invaleſcente probentur, vel quod cunctos ferè mortales infecerint, vel quod adeò ſubtilia ſint, tantiſque abdita callīditatum involucris, ut ſi ea e latebris eruere imperii poteſtate contendas, periculoſæ plenum aleæ ſuſceperis opus, & jurgiis, litibus, ac tumultu Orbem compleveris univerſum, ex quo factum eſt, ut humanæ Leges, ſi quid atrocius patratum fuerit, in illud ſæviant, ſi

quid

quid minus grave, conniveant; cum contra diſciplinam Moralem ſalubria dogmata continentem nulli vitio, ne leviori quidem, parcere videamus.

Ad hoc accedit, aliqua ab ipſis humanis Legibus crimina conſultò impunita dimitti propter miſeram nimis conditionem hominum, qui, cum longè abſint a perfectione, multis carerent vitæ civilis utilitatibus, ſi omnia eorum peccata diſtricte pœnis adhibitis plecterentur.

Neque illud ſilentio prætereundum eſt, Legislatorem minarum ſemper, & terroris voce homines a noxa retrahere, revocare ad officium, vim autem parum, aut nihil prodeſſe ad probos honeſtoſque Cives formandos, (violentia quippe hominis extima vix concutit, ad intimam verò mentis, ac voluntatis arcem numquam pervenit) quod non ſolum in Legibus Civilibus accidere comperimus, ſed in ipſa olim Moyſis Lege uſuvenit, quæ quamvis tota Divina foret, & ſalubriora doctrinæ moralis inſtituta complecteretur, Judæorum tamen terrifico minarum, quo tonuit, eloquio pervicaciam non flexit, neque aliam ab iis, quàm ſimulatam, ſervilem, nutantem, timoriſque impulſibus excitatam obedientiam extorſit.

Naturam porrò, atque fines diſciplinæ Moralis conſideranti compertum illicò eſt, eam hujuſmodi eſſe, ut non terrore, aut minis, ſed rationis interius leniter illabentis authoritate, qua voluntas jucundè vertitur, firmetur animorum concordia, & mira hinc ſeſe tollat omnium moles, cohorſque Virtutum, & pietas in terris floreat, & innocentia, & integritas.

Uno verbo qui Leges ferunt authoritate publica freti vix aliqua circa mores vel dirigendos, vel corrigendos delibant, latoſque deinde campos doctrinæ hominum vitam inſtituentis longo, maximoque labore obeundos Moralem profitenti diſciplinam relinquunt. Hujus profecto munus eſt illorum ſupplere defectus, remque univerſam & complecti penitus, & latiſſimè pertractare. Neque alia putanda ratio diſcriminis eſt,

quam

Digitized by Google

quam quod Lex Civilis hominem dirigat ad temporalem felicitatem, morum verò diſciplina ad conſequendam æternam.

Quæ cum ita ſint, quis non videt, Theologum moris honeſti aſſertorem, & vindicem non aliam profiteri debere philoſophiam, quam quæ omnem juſtitiæ, atque æquitatis complectatur ambitum, tutiſſimoque præterea, ubi lumina naturæ deficiunt, fundamento æternæ Legis, & Revelationis divinæ innitatur?

At ſi ſibi ſatis non poſſunt homines illi conſulere, ſatiſque cavere, qui probitatem, & boni Civis officia anguſtis humanarum Legum finibus comprehendunt (vir bonus enim eſſe nequit, qui Conſulta Patrum, qui Leges, juraque ſervat, ſed videt hunc omnis domus, & vicinia tota introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora) quod nam judicium ferendum erit de quibuſdam diſciplinæ moralis fontibus, in quibus neque ratio à natura rerum profecta, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto revocans hauritur pura, ſed turbida, & lutulenta, neque divinæ Revelationis integritas, & ſimplicitas fidiſſimè retinetur, ſed potius terrena fœditate contaminatur?

Hos ego fontes Civilibus Legibus utinam ſaltem comparandos eſſe, iiſque nihilo magis fidendum affirmare poſſem! At quam illis periculoſiores hi, atque pernicioſiores apparent! A Legibus enim nemo ſapiens id ſibi vindicat, ut omnem moris formandi normam arripiat, quum ſciat, quam anguſtis limitibus innocentia contineatur, ſi ſola probitate civili contenta ſit, ab illis verò fontibus corruptis regulas, & vitæ præcepta tradentibus perperam, & agendi certitudinem pollicentibus temerè longè majus exoritur voluntatis à rectitudine avertendæ periculum, cum & humana fragilitas plus æquo ſibi blandiens in id conſentiat libentius, quod magis favet imbecillitati naturæ, & illi ſententiæ minus diffidant homines, quæ dum vitiis indulget temporum, tamquam oraculum panditur.

Sed

Sed hæc omittamus, ne quis putet recentiorem de moribus doctrinam hac mea vexari diſputatione, præſtat enim rem noſtram perſequi, quàm alienam inutiliter inſectari.

Ut autem brevitati proſpiciam, prænotandam exiſtimo, qui poſt antiquos Patres Moralem illuſtrarunt doctrinam, ac illorum veſtigiis inſiſtentes excoluerunt, eos profecto & in aſſidua Sacræ Scripturæ lectione ſeſe occupaſſe, & in veterum Philoſophorum libris incubuiſſe, ſcilicet ut, quæ ſcitu digna denſis vetuſtatis tenebris obſidebantur, in lucem hominum eorum labore, atque induſtria revocarentur. Hoc autem inter cæteros Thomas Aquinas optimè præſtitit, viamque ſtravit tutiſſimam, & expeditam ad rationem bene, pieque vivendi naturalis juris principia, & ſalubriora philoſophiæ dogmata non ſeorſim à divinis oraculis, ſed conjunctim pro vide conſulendo.

Comperit enim ſapientiſſimus Doctor, morum diſciplinam, ſive regulæ, quas ad agendum ſuppeditat, ſive vires, quæ intra nos ſunt, penſentur, nimis imparem eſſe oneri impoſito ſuſtinendo, & ſine revelationis ope debilem eſſe nimis, & imbecillam.

Inficiari certè non poſſumus, plurimum incrementi diſciplinæ morali acceſſiſſe, poſtquam Metaphiſica diſciplina hac noſtra ætate præſertim exculta fuit, & ad ſublimius faſtigium non irrito conatu perducta. Scientiæ enim amplificatio illius, qua perficitur nobiliſſima intellectus humani facultas, quæ verum ſibi proponit inquirendum, pernoſcendumque, ſemitam quoque ſternit non imperviam ad expoliendam, excolendamque alteram non minus nobilem facultatem mentis noſtræ, voluntatem videlicet, quæ boni & inquiſitioni inhiat, & inventione, quàm maximè delectatur.

Quis non labores admiretur / laudabiles illorum Sapientum, qui rationales ſcientias, & præcipuè Juris naturalis cogni-

tionem amplificantes, & exornantes ſegetem etiam aliquam, eamque non modicam, quin & ſatis uberem, ut vires humanæ ſuſtinent, ac pretio dignam à diſciplinæ Moralis Profeſſoribus colligendam excoluerunt, cum ſcientia morum, quatenus ratione ſuſtinetur, nullum aliud fundamentum rationalibus diſciplinis firmius, ac ſolidius agnoſcat?

Optimæ itaque ratiocinationis leges ſapienter à Neotericis excogitatæ aditum percipiendis ad aliquam uſque partem ingenuæ probitatis officiis, ne dum præcludant, aperiunt, neque ſapientiæ pulchritudini ſcientiæ amplitudo adverſatur, imo alteri altera adeo obſequitur, ut aſſidua, atque attenta revolutio librorum, quibus & plurimis, & præſtantiſſimis ratiocinandi facultas, & jus naturæ expolitur, non parum & utilitatis, & etiam neceſſitatis habere videatur.

Quarum rerum ſtudium, atque examen perdiligens eò magis eſt adhibendum, quò ab ipſa Religione vehementius expoſcitur, nobiſque proponitur, clamat enim Religio, dari non poſſe invincibilem naturalium præceptorum ignorationem in illis, qui ſui compotes ſunt, quod ſatis demonſtrat illorum præceptorum baſes in natura & ratione primum eſſe inquirendas, hinc S. Proſper his verbis impios alloquebatur — Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus inciſos apices, & ſcripta volumina Legis adſpicite, & natam vobiſcum advertite Legem —.

Negligi itaque ſine piaculo minimè poteſt naturæ inveſtigatio, rectuſque rationis uſus, uſquedum humanis viribus datum eſt pervenire, cum præſertim non alia ſatius viâ, quam hujuſmodi inquiſitione de nimis arctis noſtrarum notionum limitibus admoneamur, animumque neceſſitate compulſi convertamus ad opes, quæ nobis in ſubſidium à divina Revelatione parantur, ut ea vitemus damna, quibus in Scientia morum invectis non minus, quam Religio, ratio ipſa, & naturæ ſenſus offenditur. At-

Attamen cum eadem Scientia, quatenus Fide ſupernaturali fulcitur, ad virtutum cognitionem accuratam tàm impar ſit, ut, niſi Cæleſti lumine colluſtretur humana ratio, propria infirmitate variis implicetur erroribus, fatendum eſt, Philoſophiæ naturalis induſtriam, utcumque mirabilem, & ſummis extollendam laudibus, tanti non eſſe, neque eſſe poſſe, ut ſola ſine comite inquirendo, & inveſtigando veras percipiat virtutes, earum & origines, & progreſſus, & fines. Ut enim natura hominis ritè exercendæ virtuti, ita Philoſophia funditus cognoſcendæ minus idonea eſt.

Jam verò homines piget retrhaere ſeriò pedem à cœno, plerique enim cum ſpe præcepta, atque accenſa cupiditate futuræ gloriæ humanarum rerum ſtudia miſcent, rationemque petunt, ſi fieri poſſit, penetrandi ad ſuperos per ima, & putrida terræ.

Hinc ſi conſulant tantùm naturæ jura, & notiones Philoſophiæ, quæ ſemper aliquid humanum virtuti, tanquam ſignum, proponit, nihil aliud ſibi conſtituunt, quàm tranquillitatem, voluptatem, pacem reipublicæ, conſervationem libertatis, rei familiaris incrementum, imperium, gloriam, futuram poſt interitum famam.

Juſtitiæ quoque ſpeciem ſibi formantes, eamque putantes optimam juris rationem in aſſiduo vitæ Civilis uſu, & conſuetudine conſtitutam, quæ docet malum pro malo reddere, quamque olim & ipſæ bene fundatæ reſpublicæ, & ipſi inſigniores Philoſophi probaverunt, ſola Lege naturæ innixi propriam defenſionem quærunt, & damnorum, & injuriarum ſine ullo moderamine propulſationem.

At ſi principiis Naturalibus, & Philoſophorum ſcriptis umbram tantum, ut ita dicam, virtutum exhibentibus ſtudium doctrinæ conjugant Evangelicæ, in qua Chriſtus ipſam virtutum lucem effert, diſcunt bonum pro malo reddere,

quod

by Google

quod omnem virtutem vincit, & ſuperat, diſcunt contemnere humana, immenſas pecuniarum, honorum, ac imperii cupiditates reſecare, deponere odium, condonare vindictam. Atque ex hac utriuſque ſtudii conjunctione illud demum utilitatis percipiunt, ut intelligant, naturæ luminibus, & humanæ philoſophiæ inſtitutis pravas affectiones aliquatenus emendari, flecti, regique poſſe, extingui verò non poſſe, doctrina autem Evangelica conteri, evellique radicitus.

– Quæ diſputationes, quæ litteræ quorumlibet Philoſophorum, quæ Leges quarumlibet civitatum, ait Auguſtinus Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſianum, ullomodo ſunt comparandæ duobus, ex quibus Chriſtus dicit totam Legem, Prophetaſque pendere, præceptis? Hìc Phiſica, quoniam omnes omnium creaturarum cauſæ in Deo ſunt, hìc Ethica, quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur; hìc Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis, nonniſi Deus eſt, hìc etiam laudabilis reipublicæ ſalus, neque enim conditur, & cuſtoditur optimè Civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei. –

Oculis porrò noſtris ſuave eſt perſpicere, quouſque Vires protendantur naturæ, & ubi deficiant, videre, quid aliud nobis ſuppetat ad mores perficiendos, cum non ſola moderatio, ſed abolitio quoque pravarum affectionum per abnegationem ſui ipſius Chriſtiano homini neceſſaria ſit, quod eſt ſummum, ac tutum virtutum culmen, quò numquam acies ne acutiſſimorum quidem Philoſophorum pervenit.

Illi enim ſola natura duce vel honeſtatis vocabulo faſtum, & ambitionem circumplicant, ut ſtoici, vel natantia hominum pectora in quamdam agendi dubietatem, ne dicam ſtuporem, adducunt, ut Socratici, (qui tamen minus in p enter, quam cæteri, de animæ immortalitate, futuraque vita ſen-

by Google

ſenſerunt) vel nihil veri, atque falſi, nihil boni, malique putantes eſſe, intellectum Ataraxiæ, Metriopathiæ voluntatem regendam committunt, ut ſceptici, vel humanas affectiones ſuſtentant, & provehunt cupiditates cum Epicuri diſcipulis, vel cum Ariſtotelicis ſterilem, ac ſine ſucco felicitatem ſectantur innumeris penè virtutum diſtinctionibus involutam, vel denique mentem in turbinem opinionum convolvunt, & in vaſtiſſimum probabilitatis Oceanum demergunt cum Academicis, quorum ſiſtemate ſeducti miserè Theologi quidam poſt illam verè auream ætatem, qua Bonaventura preſertim & Thomas Aquinas omni ſanctitatis, & litterarum gloria ornabant Eccleſiam, & eorum divina pænè vox in auribus hominum reſonabat, *modum opinandi* invexerunt, ut Alexandri VII. verbis utar, *omninò alienum ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, noviſque voluminibus ſuis naturalia principia ſejunctim a Divinis Oraculis perpendentes Chriſto, & Apoſtolis inſultare cæperunt, nimiaque ſententiarum libertate animos opprimere, Conſcientiaſque corrumpere.

Apud hos jacet Evangelium, ſilent antiqui Patres; ſqualore, ac ſitu Canones obſidentur, & re quidem vera ſi ex eorum principiis dimetienda res foret, morumque eſſent præcepta ab illorum placitis repetenda, irrito prorſus conatu honeſtatem vitæ, ſolidamque virtutem quærerent Moralis Profeſſores doctrinæ, quemadmodum inani olim ſtudio Geometræ circuli quadraturam, Aſtronomi ſuas longitudines, Chemici lapidem philoſophicum, motumque perpetuum Mechanici quæſivere.

Sed ad Thomam Aquinatem redeamus, qui, quæ duo ſunt neceſſaria ad ſaluberrimam vivendi regulam, mirificè eſt perſequutus. Nam ille morum regimen, artemque vitæ & ab authoritate divina, & ab humana ratione traxit divinis præceptis rationes naturales intexens, noſtræque Religionis cum naturali honeſtate conſenſum deduxit, ac declaravit.

Id unum tamen antea ſapientiſſimè cavit, ut ſtatueret, cum de Lege naturali acres inter Philoſophos contentiones excitarentur, aliis ipſam appetitionem ponentibus pro lege naturæ, aliis eam rationi ſubiugantibus, ſtatueret, inquam, Legem naturalem eſſe illam, quæ ſemotis erroribus conſuetudidinis, praviſque motibus animi ſegregatis ipſa per ſe tendit ad honeſtatem, quæ lex ita conſtituta, ſi ſtudiis deinde Evangelicis adiuvetur, & omnes evolat laqueos, & homines ex infinita errantium turba feliciter, ac tutiſſimè detrahit.

Cur enim ille mores hominum dirigens primævi juris cognitionem negligeret? Cur ſecerneret a conſideratione naturæ morum regulas, quarum aliqua notio humanæ quoque facultati patet? At cur non etiam naturæ legem vindicaret ab illorum perverſo ſenſu, qui fas, nefaſque propriis cupiditatibus extimant, & ſua ſibi vitia pro naturæ legibus habent? Aut cur non & contra vitia pro virtute pugnaret altius honeſtatem naturæ præſidio religionis attollens?

Quod ille, ut alia multa ejus exempla prætercam, præſertim in Suicidio maniſeſte demonſtrat, Quærens enim (a) utrum liceat alicui ſe ipſum occidere, & conſiderans humanis præſidiis ſubſtantiam quamlibet ſenſu præditam naturâ amare ſe ipſam, & ad ſui diuturniorem conſervationem corruptioni, quantum fieri poteſt, reſiſtere, hominem vero eſſe partem communitatis, communitatique, ſi ſe ipſum interimat, iniuriam facere, reſpondet eſſe illicitum ſe ipſum occidere. Sed quid ſi quis vel ad feliciorem vitam credat ſe migraturum, vel ſit evaſurus vitæ hujus diſcrimina, & intolerandas miſerias, vel puniturus aliquod a ſe patratum crimen, vel metuat, ne in peccatum conſentiat, ſi vitam diutius producat, nonne licebit ei tunc dare ſe letho, ſicut multos legimus naturæ ductu pataſſe licere ſibi e mundo, tamquam e Theatro,

pro-

(a) 2. 2. q. 64. art. 5.

Google

prodire ad evitandam moleſtiam, aut criminis turpitudinem, & elegiſſe mori fortiter potius, quam jugum captivitatis ſubire?

Non ita facile ex ſolis collegiſſet Angelicus Doctor naturæ principiis, neque his in caſibus licere alicui ſibi mortem conſciſcere, niſi à revelationis præſidiis, & a divina Lege rationes, & momenta decidendi mutuans comperiſſet, vitam eſſe quoddam donum divinitus homini attributum, ejuſque poteſtati ſubiectum, qui *occidit, & vivere facit*, ad ſolum Deum pertinere mortis, & vitæ judicium, hominem conſtitui quidem dominum ſui ipſius per arbitrium liberum circa ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis arbitrio libero regitur, non tamen circa ea, quæ libero arbitrio non ſubiacent, ſed Poteſtati divinæ, ideoque non poſſe ſe ipſum interficere, neque ad beatiorem vitam capeſſendam, neque ad evadendas ærumnas, ſed neque ad puniendum aliquod à ſe commiſſum peccatum, tum quia in hoc ſibi maximè nocet neceſſarium pænitentiæ ſibi tempus adimens, tum quia non licet criminis reum occidere, niſi per publicam Poteſtatem à Deo ita ordinatam, ut nemo ſui ipſius Judex eſſe queat, præterea neque licere ulli ſibi manus violentas inferre ob metum, ne in peccatum, vitâ diutius productâ, deinceps conſentiat, Deus enim, ut Religio docet, hominem in quocumque tentationis æſtu liberare poteſt a crimine, & gratiæ adjutorio ſuſtinere, ne peccet, denique ad fortitudinem pertinere, quod quis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, ſed quod ſibi necem inferat, ut malum pænæ declinet, hoc habere quidem ſpeciem quamdam fucatam fortitudinis, quapropter quidam ſe ipſos interfecerunt ſalſo exiſtimantes ſe fortiter agere, non tamen eſſe fortitudinem veram, ſed magis infirmitatem quamdam animi laborum, dolorumque fugâ nimis ſibimet indulgentis, mollitie deſerentis officia, & ardua quælibet formidantis.

Qua-

Quapropter ſuicidii numquam apparere poteſt ex omni parte deformitas, niſi illud & rationis humanæ, & Fidei luminibus, mirabili nempe utriuſque concordia, deforme omni ex parte oſtendatur, neque omnimoda ejus patere fæditas, niſi & ad Legem naturæ ſimul, & ad juſtitiam, & ad charitatem, & ad ſe ipſum, & ad communitatem, & ad ſupremum denique rerum Opificem, Legiſque divinæ Latorem comparetur. Appoſitè itaque Tertullianus ajebat L. 1. de anima — Cui nam veritas comperta ſine Deo? Cui Deus cognitus ſine Chriſto? Cui Chriſtus exploratus ſine Fidei Sacramento? — Sine Fide igitur, ac Religione veritas præcipuè quæ ad mores, eorumque candorem pertinet, nemini comperta eſſe poteſt,

Quæ res ut adhuc luculentius appareat, curſim animadvertere liceat 1. Naturam hominis, quæ ſolo rationis intuitu percipi tota non poterat, auxilium aliquod, quo qualis, & quanta foret videremus, deſideraſſe.

2. Divinam veritatem hoc nobis detexiſſe, quod in nobis latebat, mentis humanæ videlicet depreſſionem per peccatum delapſæ, liberiq. infirmitatem arbitrii à culmine ſanitatis in profundum ægritudinum, atque morborum dejecti, quod ſupernæ illuſtrationis indicio cognoſcere neceſſe omnibus fuit.

3. Certos nos eſſe, quod exiſtimus, at quomodò exiſtamus, & an ſemper exiſtentia erimus prædìti, & quomodò poſt fata ſuperſtites futuri ſumus, niſi Fidei lumen noſtris mentibus affulſiſſet, ignoraturos uſque.

4. Neceſſario Deum exiſtere, ſed quæ ſit eſſentia ſummi illius Boni, cui debemus id omne, quod ſumus, & cujus generis cultum Supremus rerum Opifex a nobis exigat, incaſſum quæſituros, niſi *Deus ipſe locutus eſſet olim noſtris Patribus in Prophetis, & noviſſimè nobis in Filio*.

5. Cogitandi facultate pollere hominum genus, ſed num hæc facultas ſpirituali tantum ſubſtantiæ ſit adeò peculiaris, ut

Digitized by Google

ſit nullo modo corporeæ ne per divinam quidem Omnipotentiam poſſit aptari, ſemper certaturos, ſepoſitis Divinorum Oraculorum ſcitis, ſubtiliores, & audaciores Philoſophos, ſemperque litem futuram eſſe ſub Judice.

6. Denique naſci nos mille miſeriis, & ærumnis obnoxios, quas experimur, & ab incunabulis patimur, ſed qua de cauſa id factum ſit, & quo nam fato, neminem noſtrum, ſi Religio ſancta conticuiſſet, divinare potuiſſe, cum noverimus homines quoſdam in humanæ ignorantiæ probroſum teſtimonium ſola duce natura duplicem Deum alterum boni, alterum mali authorem tàm falsò, quam ineptè finxiſſe.

Ex jam dictis duo conſequuntur, alterum, cum ſibi ſemper in ratiocinando, diſſerendoque de moribus conſtet Thomas Aquinas, non alibi tutius, neque utilius, quam in ejus operibus hauriri poſſe præcepta vitæ, alterum, illum verè eſſe honeſtum probumque Virum, qui omnia prorſus officia ita perſolvat, & expleat, ut Legibus, cujuſcumque demum generis eæ ſint, nihil debeat univerſis.

Quis itaque noſtrum, A. A., Magiſtro illi non fideret, qui morum præcepta tradens numquam à Lege naturæ Legem Divinam ſejunxit, & Doctrinarum puritati ita ſtuduit ut cum in nonnullis quorumdam Veterum ſcriptis caute, & ſuſpenſo gradu Lectori ſit incedendum, ne in ſententias parum tutas imprudenter impingat, in hoc uno Eccleſiæ ipſius, & Pontificum teſtimonio liceat pede inoffenſo decurrere.

Thomæ igitur Aquinatis inſiſtentes veſtigiis, nec umquam ab ejus opinionibus deflectentes, a Piloſophia diſcamus, nihil aliud eſſe morales virtutes, niſi propriæ rationis uſum, atque humanæ productionem naturæ, ne falsò queramur, nimis grave pondus eſſe nobis ab Evangelio ſuperimpoſitum, neque ſupervacuum Philoſophiæ ſtudium putan-

tan-

tandum erit, aut nimis prophanum, aut minimè dignum; quod primum omnium in illa ſeſe offerat divinitate præceptorum, quibus iter ad ſuperos expeditur, poſtquam illud ſummo habuit in pretio Angelicus Doctor naturalium Legum præ cæteris ſtudioſus, nobiſque authoritate ſua commendavit. At ejus quoque exemplo incitati revelationis præſidiis adjuvemus naturam, ne ſibi relicta fatiſcat, noſtraſque mentes in ſcopulos, ſirteſque conjiciat, veræque virtutis notionem putemus poſſe quidem in nobis inchoari rationis opibus, quas nobis natura ipſa ſuppeditat, ſine Religione tamen, Diviniſque Præceptis perfici minime poſſe, Sic enim, & doctrinæ ſeveritas Evangelicæ, quam initio humanus animus reformidat, adiumento rationis, veluti quadam illecebra demulcebitur, & ingeniorum liberius opinantium compreſsâ licentiâ rerum omnium examen ad ſtabiles probitatis leges ſe totum convertet, & cunctis recentium Academicorum laqueis contritis in tuto poſita erit, & mutuò fovebitur inter homines charitas, plurimaque bona in ſocietatem quoque redundabunt civilem & Religioni nihil erit detractum, ſi ſtudio comparandæ ſalutis Philoſophia etiam eamdem ad cauſam advocetur, & nos denique ad Chriſtianam pietatem propius adſpirabimus, ſi præter divinam authoritatem, qua premimur, & urgemur, naturalibus ad eam & rationibus, & viribus, quantum res patitur, enitamur, dummodò Gratia Novæ Legis confiſi ſalutem noſtram in Dei manibus collocemus, nec eam libero committamus arbitrio, quod licet in nobis vigeat, viribus quidem attenuatum, non profligatum, aut extinctum, ut delirabat Lutherus, attamen non ſolum per illius ætatis, quæ ante Reparatoris Adventum fluxit, longiſſimum intervallum, ſed etiam ad hæc uſque tempora homines non fecit miſerabili experimento, neque facere potuit, niſi ſontes, & noxios, & ſordibus inquinatos. Agi-

Google

163

Agite itaque Adoleſcentes optimi, quos Deus in ſui ſortem Miniſterii leniter, ac ſuaviter advocat, & ad opus Evangelicum implendum Cæleſtibus invitat Afflatibus, ut aliquando efficiamini *Forma gregis ex animo*. Ad vos præſertim ſpectat morum, & vitæ regulas, artemque cognoſcere, qui debetis *alios inſtruere ad ſalutem per Fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, ut in ſecunda ad Timotheum ſcribit Apoſtolus.

Clementiſſimus omnium noſtrum Pater PETRUS LEOPOLDUS Sciëntiarum, Religionis, Hetruſcæ Rei Tutela, ac Majeſtas ampliſſimum mihi munus demandavit tradendi publicè vobis in hoc Senarum Lycæo Celeberrimo diſciplinam humanæ vitæ, morumque Magiſtram Excellentiſſimam, veſtram nempe Provinciam itinere mecum peragrandam non intermiſſo, quæ diſciplina ſi, unde oritur, repetatur, & mirificè proſpicit communibus humani generis commodis, quibus ſovendis, non evertendis Eccleſia Chriſti nata eſt in Imperio, & homines arctè cum Deo, atque inter ſe mutuis officiis conjungit.

Non ego turbatos adibo rivos, neque vobis lutulentas commonſtrabo paludes, ut veſtram diſcendi cupiditatem, ac veluti ſitim explere poſſitis, ſed puros, ac ſinceros in Angelici Doctoris operibus, ut indicavi, Fontes aperiam, unde Evangelicæ Doctrinæ ſcholaſtica methodo expoſitæ, & explanatæ ſaluberrimi Latices abundanter exiliunt.

Facite, ut labor veſter aſſiduus mea tenuitate adjutus, & Dei Optimi Maximi Vocationi Sanctæ, & ſcientiæ, quam me duce addiſcetis, dignitati, & Amantiſſimi Principis noſtri Conſilus, ac Beneficiis cumulate reſpondeat.

S E N I S MDCCLXIX.
Apud Aloysium et Benedictum Bindi

SUPERIORUM FACULTATE.

33 833807